

Locútus est Móyses pópulo dicens:

- ⁶ «**P**ópulus sanctus es Dómino Deo tuo.
Te elégit Dóminus Deus tuus,
ut sis ei pópulus peculiáris
de cunctis pópulis, qui sunt super terram.
- ⁷ Non quia cunctas gentes número vincebátis,
vobis iunctus est Dóminus et elégit vos,
cum ómnibus sitis pópulis paucióres,
- ⁸ sed quia diléxit vos Dóminus
et custodívit iuraméntum, quod iurávit pátribus vestris,
edúxit vos in manu forti
et redémit te de domo servitútis,
de manu pharaónis regis Ægýpti.
- ⁹ Et scies quia Dóminus Deus tuus ipse est Deus,
Deus fidélis,
custódiens pactum et misericórdiam diligéntibus se
et his, qui custódiunt mandáta eius,
in mille generatiónes
- ¹⁰ et reddens odiéntibus se prótinus,
ita ut dispérdat eos et ultra non dífferat,
prótinus eis restítuens, quod meréntur.
- ¹¹ Custódi ergo mandáta et præcépta atque iudícia,
quæ ego mando tibi hódie, ut fácias».

Verbum Dómini.